

troque modo Deum religiosè colere studuistis. Sed nunc, quæso attendite; qualem à vobis cultum, & quomodo sacrificiis pristinis respondentem, à vobis exigat DEVS, atque expectet. Olim quidem tantùm offerebatis victimas brutas; nunc autem vosmetipsos Deo offerte, corpus animumque eidem addicentes, hæc erit hostia accepta, sancta, beneplacens. Cum verò iisdem facillimè dubium aliquod suboriri potuisset, quâ ratione corpus victimæ loco sit offerendum, verba nostra, quæ sub examen accuratius vocare, volupe est, addit, τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν. *Cultum rationalem (verbalem) vestrum.*

§. 5. Facilè constat, verba hæc cum præcedd. per appositionem, quam Grammatici vocant, connecti. Id enim articulus τὴν manifestè indicat, & expresit in versione vernacula *Lutberus: Welches sey / inquiring, euer vernünftiger Gottesdienst.*

§. 6. Dispiciendum autem porrò venit, utrum verba hæc ratione constructionis referenda sint ad accusativos proximos, ψυσίαν ζῶσαν etc. ita ut res offerenda, quam Apostolus dixerat τὰ σώματα *Corpora* illorum, in casu recto appelletur λατρεία λογικὴ seu *victimam rationalem*? an verò ad verbum προσεξῆσαι, quò actus offerendi denotatur, ita pertineant, ut is dicatur λογικὴ λατρεία, & sensus sit: Offerte corpora vestra victimam, atque ita præstate DEO *cultum rationalem.*

§. 7. *Priori sententiæ accedit Erasmus, putans, λατρείαν h. l. poni pro ψυσία, ψυσίαν autem denotare ipsam victimam, prout ζῶμα quod sacrificio offertur, appelletur ψυσία. Sic enim in Annot. ad h. l. scribit: Obsequium hic posuit pro sacrificio, idq. suo more, & porrò dicturus, cur rationalis hic cultus vocetur: Subdit Apostolus rationale, nimirum ipsum hominem sentiens, qui victima est rationalis, & ob id Deo acceptior. Simi-*